



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 42. Tillius gravi vulnere affectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII.
A. C. 1632.

§. XLII.

Tillius gravi vulnere affectus.

Ex adversa Lyci ripa Gustavus Rex
 castra sua Tillio opposuit, tribus
 que aggeribus erectis, sexaginta duo
 majora belli tormenta in Tillianos vi-
 cinam sylvam insidentes continuo ex-
 plodi iussit, majore arborum, quam
 militum frage: cum vero Bavari vi-
 cissim in hostium castra acriter, nec in-
 noxie fulminarent, malaque hujus flu-
 minis fides tutum Suecis vadum dene-
 gare videretur, Rex adactis in flumen
 trabibus nauticum pontem construi præ-
 cepit, interim vero emissis suis copiis
 universum Episcopatum Augustanum
 in citima Lycis parte, aliaque intra Ul-
 mam & Donawertham oppida, præter
 Dilingam, Ginsburgum, Lauingam,
 aliasque plures urbes incendiis, rapi-
 nis, cædibusque per sexaginta circiter
 passuum millia emensus est. Nec pro-
 pterea in castris a mutua tormentorum
 explosione feriatum, ac præprimis Til-
 lii ceterorumque Ducum in confirman-
 dis Boiorum animis adversus hostem
 magis, magisque jam impendentem
 fedulitas intenta discurrebat, cum re-
 pente Aldringerus rei tormentariæ Præ-
 fectus grandioris plumbi globo trajectus
 occum-

*Adl. An-
nal. Boic.**part. 3. l. 17.**Le Blanc.**Hist. de Bav.**t. 4. P. 4.**rer. Germ.**epitom. p. 72.*

Sæc. XVII. occumberet. Paulopost ipsum quoque
A. C. 1632. Tillium, cum grandinantes inter slo-
 pos ac tubos, interque volitantes tor-
 mentorum globos periculi contempti
 propius Lycum adequitans, hostium
 tentamina exploraret, globus æneus
 minore tubo excussus secundum genu
 dexterum graviter vulneraverat. Tam
 infausto utriusque Ducis casu nondum
 Maximilianus extrema contra Suecos
 experiendi animum abjecerat, cum ve-
 ro ceteri Belliduces perpensa suorum
 paucitate, atque ingruentis noctis pe-
 riculo, animos a prælio alienos præ-
 ferrent, Maximilianus impedimentis
 Neoburgum præmissis, totum exerci-
 tum turbatis minime ordinibus Ingol-
 stadium conduxit, amissis suorum tre-
 ginta, neque pluribus: Hæc demum
 fuit pertinax illa pugna, ac funesta
 clades, qua Maximiliani copias penè
 deletas fuisse, Scriptorum nonnulli
 aut Sueci gloriam augendi studio, vel
 Bavarici nominis invidia abrepti
 fingunt.

§. XLIII.

*Augustana civitas a Gustapho Sueco
 occupata.*

Stengel.
 Comm. de
 reb. Aug.
 c. 73. p. 2.
 §. 18.

Postridie, quam Maximilianus Elector
 castra moverat, Gustaphus Suecicus
 Res